



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

**Parisiis, 1644**

Vita Et Epistola Benedicti Papae XI. Vulgo XII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15653**

fuerat. Qui cum præter schismata ecclesiæ illatum, publice doceret Iesum eiusque discipulos adeo pauperes semper fuisse, ut nihil vñquam neque in commune, neque priuatim habuissent, indicatum est hoc Concilium, quo antipapam iure meritoque condemnauit, erroremque eiusdem sacrae scripturae contrarium refutauit. Tempore vigesimi primi schismatis, inquit Marius capite vigesimo primo lib. de schismatibus & Concil. per Joannem XXII. Auenione Concilium est institutum contra Petrum Corbariensem ordinis Minorum, antipapam creatum a Ludouico Bauaro. Is vero alio Concilio in Italia indicto, Joannem XXII. hereticum declarauerat, defendens Jesum eiusque discipulos adeo pauperes fuisse, ut nihil neque in commune, neque priuatim habuissent. Id quod in predicto Concilio Auenionensi etiam refutatum est. Hæc ex Ioanne Mario.

Confuse  
quæ supra  
dixi in Be-  
nedicto X.

VITA ET EPISTOLA  
BENEDICTI PAPÆ XI.  
VVLGO XII.

ANNO  
CHRISTI  
1344.

**B**ENEDICTVS XI. qui nomine pristino dictus erat Jacobus Tolosanus, ex ordinis Cisterciensis cardinale, die post obitum Ioannis decimo sexto ad pontificatum electus est, decimo tertio Kalendas Ianuarii, anno 1334. regnante Ludouico IV. imperatore. Initio sedis sua censuras contra eundem Ludouicum Bauarum a praedecessore latas non tantum confirmauit, verum etiam imperialem dignitatem tamquam vacantem, & ad se velut ad Christi vicarium deuolutam, eidem abstulit. Interim ne Italia externo hosti pateret, multos proceres Italiam in urbibus quas possidebant, sedis apostolicae vicarios creauit. Romanis per legatum persuasit, ut senatoriam dignitatem, quam diu regio nomine gesserant, suis tandem & ecclesiæ auspiciis administrarent. Sanctorum animas a peccatis suis sufficienter expiatas ante diem iudicij beatas esse, Deique clara visione frui definiuit. Unica ordinazione sex cardinales, viros virtutibus ornatisimos, creauit. Omnibus modis regem Franciæ cum Anglo conciliare studuit; sed frustra. In rebus honestis & iustis constantissimus perficit; bonos amore complexus, improborum voluntati & conatibus, quantum fieri potuit, repugnat. Septem annis, tribus mensibus & septemdecim diebus pontificatu functus, obiit Auenione septimo Kalen-

das Maii, anno Domini 1342. Eius mors grauem animi dolorem omnibus infixit. Eius tempore Petrarcha lauro coronatus est.

EPISTOLA  
BENEDICTI PAPÆ XI.

Definit animas sufficienter purgatas clara  
Dei visione frui.

*Benedictus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.*

**B**ENEDICTVS Deus in donis suis, & sanctus in omnibus operibus suis, qui sacrosanctam Romanam, catholicam & apostolicam ecclesiam (quam ut vineam plan- tavit dextera sua, quamque ut præcipuum in ecclesiarum omnium caput erexit, & viætricem, dicente Domino ad Petrum: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam* Math. 16. meam.) sua miseratione non deserit, sed per beatos apostolos suos, præcipue Petrum & Paulum, singulares eiusdem ecclesiæ defensores, pia benignitate & continua pietate custodit, quatenus eisdem rectoribus gubernata, in se stabilis maneat fundata super firmam petram, omnesque Christianæ fidei cultores illi obedianter, illi pareant, illi intendant, sub illius magisterio degant, sub eius disciplina & correctione consistant.

*Et paulo post:* Sane dudum tempore felicis recordationis Ioannis vigesimi secundi prædecessoris nostri, inter nonnullos etiam theologicæ facultatis magistros, super visione animarum iustorum hominum post mortem suam, in quibus nihil erat purgabile, cum de hoc sæculo decesserunt; vel si fuerat, iam purgatum fuerat ex toto; an diuinam essentiam videant ante corporum suorum resumptionem ac iudicium generale, & super nonnullis aliis orta materia quæstionis, ipsorum aliqui negatiuam, aliqui affirmatiuam, alii vero secundum suas imaginaciones de visione diuinæ essentiæ ab animabus huiusmodi diuersa & diuersimode ostendere nitebantur, prout ex dictis & scriptis eorum noscitur apparere: super reiectis suis vero concertationibus, quas hic causa breuitatis omissimus, quia ita ex nostris etiam determinationibus

## 120 BENEDICTI PAPÆ XI. EPISTOLA.

inter se decidebant : cumque idem prædecessor noster, ad quem prædictorum determinatio pertinebat, ad decisionem concertationum huiusmodi se pararet , in suo consistorio publico tam fratribus suis sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus , de quorum numero tunc eramus, quam prælatis & magistris in theologia , qui multi aderant præsentes, iniungendo distictius & mandando, vt super materia de visione prædicta, quando requirerentur ab eo , deliberate vnuſquisque diceret quod sentiret: tamen morte præuentus, sicut Domino placuit, perficere nequivit. Defuncto itaque prædecessore præfato, nos diuina dignatione ad apicem summi apostolatus assump̄ti, diligentius attentes, quanta ex præmissis eorum concertationibus non solutis animarum imminent pericula , quanta exinde possunt scandala suboriri, vt ipsorum varietas pereat, & veritatis soliditas innotescat, habita prius super prædictis solicita examinatione & diligenti deliberatione cum fratribus nostris dictæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus, de ipsorum fratrum consilio hac in perpetuum valitura constitutione, auctoritate apostolica definimus, quod secundum communem Dei ordinationem, animæ sanctorum omnium , qui de hoc mundo ante Domini nostri Iesu Christi passionem deceperunt, nec non sanctorum apostolorum , martyrum, confessorum, virginum , vt aliorum fidelium defunctorum, post sacramentum baptismi ab eis suscep̄tum , in quibus nihil purgabile fuit quando deceperunt, nec erit quando decedent etiam in futurum, vel si tunc erit aliquid purgabile in eisdem, tamen post mortem suam purgabunt, atque animæ puerorum eodem Christi baptisme renatorum , & baptizandorum, cum fuerint baptizati, ante vsum liberi arbitrii decendentium , mox post mortem suam & purgationem præfatam in illis qui purgatione huiusmodi indigebant , etiam ante resumptionem suorum corporum & iudicium generale, post ascensionem Domini nostri Iesu Christi in cælum, fuerunt, sunt, & erunt in cælo, cælorum regno & paradiso cælesti, cum Christo sanctorum angelorum consortio aggregatae, ac post Christi Iesu passionem & mortem viderunt & vident & videbunt diuinam essentiam immediate, se bene & clare &

aperte

BENEDICTVS TOLETANVM. LUDOVICVS BAVARVS IMP.  
P. XI. ALPHONSVS XI. R. CASTELLÆ. 121

aperte illis ostendentem ; quodque sic videntes , eadem diuina essentia perfruuntur : nec non quod tali visione & fruitione eorum animæ qui iam deceserunt , sunt veræ beatæ & habent vitam æternam & requiem.

ANNO  
CHRISTI  
1339.

CONCILIVM TOLETANVM  
AVCTORITATE ÆGIDI TOLETANI  
archiepiscopi , ad reformandos mores ecclesiæ cele-  
bratum anno Domini MCCCXXXIX. tempore Bene-  
dicti papæ XI.

TITVL LI CAPITVLORVM.

- |  |  |
|--|--|
| I. <i>De non alienando ecclesiæ do-</i>    | <i>ad studia theologie &amp; iuris ca-</i> |
| <i>minio.</i>                              | <i>nonici accedere compellatur.</i>        |
| II. <i>Vt nullus , nisi literatus , ad</i> | IV. <i>De procuratoribus episcopo-</i>     |
| <i>clericatum promoueatur.</i>             | <i>rum ad Concilium mittendis.</i>         |
| III. <i>Vt ex qualibet cathedrali vel</i>  | V. <i>Vt rectores ecclesiæ nomina</i>      |
| <i>collegiata ecclesia sicutem unus</i>    | <i>suorum parochianorum annua-</i>         |
| <i>ex decem clericis assumatur , qui</i>   | <i>tim in scriptis redigant.</i>           |

P R A E F A T I O.

*Aegidius miseratione diuina archiepiscopus Toletanus , Hispania-  
rum primas & regni Castellæ cancellarius , venerabilibus in Chri-  
sto fratribus Dei gratia episcopis , suffraganeis nostris , & aliis ci-  
uitatis & diœcesis ac prouinciae Toletanae prælatis , ac eorum  
capitulis , salutem in Christo salutis auctore.*

OFFICII nostri debitum exposcit , vt solicitudinis stu-  
dium , & indefessas operationes , prout possibilitati  
nostræ permittitur , adhibeamus , ac cautela nostra custo-  
diat , ne in his quæ venerabilium sunt ecclesiæ , ali-  
quid inuastabile inualescat , quod quietem impedit ea-  
rumdem : vtque sint in ecclesia Dei viri literati , qui iura  
ipsius tueantur , & in eorum nitore Altissimus delegetur ,  
ad cuius laudem & gloriam , & felicem statum ac reuelationem  
ecclesiæ , quæ ad præmissa pertinent , salubri-  
ter ordinentur . Igitur ad editarum constitutionum obser-  
uationem potius quam ad earum multiplicationem sum-  
mopere intendentes , præsentibus venerabilibus in Chri-  
sto fratribus nostris Petro Segobiensi , fratre Alphonso Se-  
Concil. Tom. 29.

Q